Viro Perillustri,

CONSTANTINO HUGENIO, Equiti;
Zulichemi & Zeelhemi Toparchæ, &c
Celsissimo ARAUSIONENSIUM Principi,
à Consiliis & Secretis;

Robertus Keuchenius, Jctus. S.P.D.

Ignosces, Vir Illustris, quod occupationibus Tuis summis rursus obstrepere sim ausus. Satis impudenter, fateor, cum Te specto: cum vero observantiam Tuam in eruditos singularem, quæ stimulos & audendi animum suggerit, non potui non frontem omnem projicere. De Poëmatio meo, quod restaurato Britanniarum Regi consecraram, Perillustri Tuo nomini pridem transmisso; vellem equidem pro exacto judicio Tuo sententiam dignareris. Quis enim istius major æstimator erit & dignus ex æquo censor, quam divinus Hugenius, οὐδ' ἄλλῃ πολύμητις ἀνέπλαβε Χερσὶν Ἀθήνη. Cæterum vel ingenuo pudore suffundor, quod alterum à Te votum desiderem, quod nulli unquam bono denegasti. Sextum Julium FRONTINUM nostris animadversionibus illustratum nunc ad editionem curarunt operæ: qui tamen sine Illustrium & Eruditissimorum Hominum suffragio prodire erubescit. Tuum imprimis Illustris & Incomparabilis Hugeni, judicium, dignissimo, quo polles, epigrammatio exspectat. Quarè ut seriò & opportunè hanc in Te provinciam capessas, per omnia Musarum sacra, & devotissimi affectus religionem, obnixè obtestor. Vale Vir Illustris, & hanc in expetendo libertatem meam æqui consule. Arnhemii Gelror. a. d. XV. Kalend. Decembr. Julian. CIƆ IƆCLX.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 17-20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0489

Den Doorluchtigen en Hoog Ed:
Heere,

Den Heere, Constantin Huygens, Ridder,
Heer van Zuilechem, Zeelhem, &c. Raadt
en Secretaris van Zijne Hoogheit
Wilhelm de III. Prince van Orangien

in 's Graaven-Haage.

IIII

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 17-20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0489

ROBERTI KEUCHENII. Icti,
AD
ILLUSTREM ET INCOMPARABILEM
VIRUM,

CONSTANTINUM HUGENIUM,
EQUITEM; &c.

CARMEN VOTIVUM.

Constat adhuc, Superisque placens HUGENIUS astris
Tollit inoffensum relligione Caput.
Constat Arausiacis CONSTANS HUGENIUS aulis,
Imperiisque vacat pro Duce Belga, Tuis.
Constat Apollineis CONSTANS HUGENIUS actis,
Ingeniisque vacat Phoebe diserte, Tuis.
Constat Apellaeis idem Constanter alumnis;
Omnibus exemplo constat & Ille Sibi.
Illum, si fatis ruat inconstantibus Orbis,
Imparidum feriet vana ruina virum.
Qui Recto Constanter agit; fastidit inermes,
Armatasque pari dexteritate minas.
Sic CONSTANS reverere Deos; interque Potentes
Suspice Dis geniti Principis ora Patres:
Ingeniisque Tuo consta famulantibus; & dum,
Inter honorantes Nomina vestra Viros,
Constantes CONSTANTER amas; Constanter amantem
Me quoque, qui constans nunc Tibi constat, ama.

Arnhemii Gelror. a. d. XV. Kalend. Decembr. Julian. clɔ Iɔ cLX.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 17-20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0489